



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE

487.  
**IMMUTABILITATE**  
**JURIS NATURÆ,**

Quam

Præfide Deo Ter Opt. Max.

AUCTORITATE

MAGNIFICI DN. RECTORIS

**JOHANNIS GEORGII GRÆVII,**

Politices, Eloquentiæ & Historiarum Professoris Ord.

Nec non

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobi-  
lissimæque Facultatis Juridicæ decreto,

**PRO GRADU DOCTORATUS**

Summisque in utroque jure honoribus & privilegiis rite  
& legitime consequendis,

Publico Eruditorum examini subjecit

**JUSTUS MAURITIUS WALLENDORPH,**

Emd Fris. Orient. A. D. 3. Junii. MDCXC.

H. L. Q. S.

---

TRAJECTI ad RHENUM,

apud FRANCISCUM HALMAM, Academiæ Typograph.

Denuo recusa 1714.





DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE  
IMMUTABILITATE JURIS NATURÆ

THESIS I.

**Q**uod ante admirabilem hujus universi machinam, genusque humanum conditum, nulla legis observatio, vel obligatio extiterit, sed hæc cum ipso genere humano prodierit *S. II. Inst. de R. D.* neminem recta ratione utentem latere potest.

TH. II.

Ita eodem modo fatebitur, hæc omnia à se ipsis prodire non potuisse ; quo ipso non potest non agnoscere universi initia, adeoque & omnium autorem ; à quo dum universum multis perfectionibus donatum videt, seque ipsum majoribus adhuc præditum deprehendit, maximas adhuc dari extra se & universum arguet, quæ dum extra hoc Universum in alio esse non possint, quàm in ejus autore, cum præter eum ipsumque ; universum nihil sit, neque excogitari possit certe inde convincetur & adiget agnoscere hunc autorem pro ente perfectissimo & omnipotente, quod Deum vocamus.

TH. III.

A quo dum hoc universum ipseque homo creatus

A

tus est, sequitur, quod cum totum hoc creationis opus quædam quasi perfectionis naturæ absolutio sit, non possit non esse perfectissimum, quicquid inde ortum productum atque creatum est, cui ut testimonii divini auctoritatem addamus, consentit Sacra pagina *Gen. 1. vers 16. 12. 18. 21. 31.*

TH. IV.

Perfecta autem sunt, quibus nihil abest, nihil abundat, seu quod idem, quibus nihil addi vel demi potest salva & eadem manente substantiâ, quoniam eam jam certam ac definitam à Creatore perfectissimo, eoque perfectissimam accepere.

TH. V.

Hæc autem universi & ejus partium ipsiusque hominis perfectio cum ab externa eorum forma, quæ adeo mirabilis est, ac variata cognosci non possit, nedum propria singulorum ratione absolvi, necesse est, ut ab intentione auctoris & fine illo in quem & Creator ipse & rerum creaturarum universitas collineant, metienda atque æstimanda sint. Cum enim uti nihil nisi ab hoc Creatore, ita nihil nisi ad ipsius intentionis ac voluntatis normam factum sit, neque vero ab isto rerum omnium autore, quicquam intendi fierique possit, nisi quod omnibus numeris perfectum absolutumque est, sequitur, id omne, & solum & plene perfectum esse, quod ad ideam ac rationem hujus voluntatis fit aut factum est.

TH. VI.

Unde nec partis cujusque in hac rerum universitate perfectio cognosci potest nisi cognito ejus officio ac fine, in quem vel ob quem constituta est, atque hoc est

est quod rerum Creator, huic fini cum singulas partes creatas, & singula creationis opera convenire videret, de singulis additur, quod viderit esse bonum, ut eâ ratione toti denique operi illud quasi *ἐπιφύνημα* adjicit omnia fuisse valde bona, cum finem conspirarent.  
*Gen. 1-v. ult.*

## TH. VII.

Hæc ergo intentio ac voluntas Creatoris sola & summa & unica rerum norma & lex æterna inviolataque est cum omnibus rebus creatis, tum imprimis hominibus, quibus ut eam legem & intelligere, & cum electione aliqua sequi possent, mentem animamque cum ratione concessit; inter quos igitur ista lex obligationem producit immotam, atque si ita loqui licet, indispensabilem.

## TH. VIII.

Nihil hinc prius immediatiusque profluit, quam lex illa sanctissima ipsique creatori cœva, de ipso summe & super omnia colendo, & cum maxima quæ esse potest submissione venerando: Cum enim, quod summe perfectum idem & summè colendum sit, nec hæc re ipsa differant, primum hoc omnium est, quod ex summa Creatoris perfectione sequitur summa ejus veneratio.

## TH. IX.

Imprimis cum quicquid in homine est, à voluntate creatoris totum dependeat, hinc enim nulla in homine est facultas agendi, nisi quæ ex arbitrio Creatoris ipsi concessa est. Præter hoc igitur arbitrium cum nihil possit, ejus omnino legibus totus obligatur, iisque adstringitur. Atqui in eo consistit imprimis cultus

ratio, cum ille quam maxime alterum colit, qui totus ex ejus arbitrio ac nutu vivit & legem voluntatis ipsius religiose observat. Denique cum ipse creator intima perfectionis suae infinita conscientia non possit non se ipsum diligere sui que cultum velle, ea voluntas æterna obligat omnino creaturas, primariaque ipsarum immobilisque lex est.

## TH. X.

Hinc & è contrario, quicquid ab ista voluntate & intentione quocunque modo recedit ac deviat non potest non esse imperfectissimum, atque ab omni specie boni quam remotissimum nihilque prorsus in œconomia Creatoris quam naturæ abortus, & à totâ naturæ lege deficiens monstrum portentumque quod rerum Parenti perfectissimoque Creatori non potest non esse ingenti horrore & abominationi; eoque sanctissimum hoc Numen incendi & quasi armari in execrationes, vastitates, easque atrocitates quibus cum gentibus scelera earum extirpantur ad abolendum utrorumque memoriam. Cum enim creator qua sit perfectione, quæque voluntas illius plenissima sanctitas intimè sibi conscius sit, non potest esse suæ voluntatis, quam scit esse perfectissimam sanctissimamque exactor executorque rigidissimus, ejusque tuendæ severissimus.

## TH. XI.

Tantum abest, ut ulla sit potestas humana, quin ulla creata, quæ legem hanc non minus, ac creator em ipsum immotam vel minimum labefactare aut ei quicquam per dispensationes quas vocant. detrahere possit. Id enim esset involare in summum Divini Numinis impe-



imperium, ac æternam immutabilemque naturæ normam sacrilego ausu & rebelle perduellique animo invadere quod nefas & gigantum fabulis pejus, ac truculentius esset.

## TH. XII.

Concludo itaque firmissime ex præmissis, quod ubi & quomodocunque declarata hominibus fuerit, hæc creatoris volūtas seu ratione seu revelatione, homines inviolabili adeo vinculo adstringat; nullam verò humanam potestatem posse sine summo scelere ac nefaria in Deum perduellione arrogare facultatem derogandi huic voluntati divinæ, aut de ea, ut vocant, dispensandi. Unde tales nuptiæ indubie pro incestis, & divinis jussibus ac Creatoris voluntati contrariis habendæ, qualiscunque dispensatio intervenerit, & cujuscunque hominis.

## TH. XIII.

Hinc hæc consuetaria. Cum rerum creator Deus adeo detesteretur scelera & crimina imprimis homicidia, quibus nullo modo parcendum voluit; adulteria quæ severissime in Hebræis Sanctissimis, ut nihil magis cum eo pugnet, quis non horreat eorum morem qui homicidis & pessimorum scelerum reis impunitatem promittunt ac præstant eâ lege, si ad eorum religionem transeunt. Adeo invertitur divinæ voluntatis religionumque omnis ratio, ut, cum Deus severissime jusserit puniri scelera, imprimis vero prohibuerit homicidiis gratiam facere, exempla fati frequentia homicidarum. Hodieque sint, qui profugi ad Monasteria commissis criminibus confugerunt, mutatæ religionis pretio sine ulla pœna dimissi honoribusque au-

antē sunt, eademque religio quia cœrcendis & delendis sceleribus à Deo unice constituta ad effrenis licentiæ impunitatisque mercatum adhibeatur.

## TH. XIV.

Nec minus horrendum est ab iisdem erigi in templis scelerum asyla, quibus non tantum incestant sacra, admittendo scelerosos & debita supplicia fugientes cum ea sit sacrorū ratio, ut inde separentur & profligentur profani nedum sceleratiqui facinorū suorū impunitatem in sanctimonia loci quæritant. Nihil ergo indignius quam quod Sanctitas loci, quæ crimina quam maxime averfatur, & Deus ipse criminibus patrocinandis auctoritatem securitatemque præstet. Longe melius itaque Salomo Rex sensit, dum Joabum homicidam apud aram quoque mactari jusfit *1 Reg. 2. vers. 30.*

## TH. XV.

Certam esse Divini Numinis voluntatem æternamque legem, fidem datam esse inviolabiliter custodiendam, ex ipsa immutabili ipsius essentiâ immutabiliter sequitur idque apud omnes Gentes non simplex modo sed sacrosanctum imprimis jus habitum fuit, quo ipsi Dii adstringantur. *De quo Cic. 1. de offic. & Ovid. Heroid. epist. 18. Non bove mactato cœlestia Numina gaudent: Sed quæ præstanda est & sine teste fide.* Quinimo tale jus est sine quo nulla humana Societas existere potest *Sic Silius Ital. Lib. 11. de bell. Pun. cecinit; Quod titubante fide stet nulla diu mortalibus usquam fortuna.* Et nihil magis humanæ fidei congruum esse quam quæ inter homines placuerunt servare, indeque id naturalis æquiritatis esse, legibus quoque proditum est *L. 1. pr. ff. de pact. cui ergo horrorem non incutiet eorum doctrina quibus non pudet*

pu- det docere, ex ipsa lege Christiana licitum esse iis quos illi fingunt, hæreticis fidem non servare sed fallere. Quasi vero Deus sanctissimus & Servator noster eo redacti sint, ut necesse sit, veritatem & cultum suum perfidiis, perjuriis, fraudibus, mendaciis, aliisque impiis artibus, quas adeo abominantur, ac prohibent defendere; aut illi quorum officium ad id constitutum est, ut doceant Sacramenta & promissa Sanctè inviolabiliterque custodienda esse, auctoritatem & licentiam, vi officii sui dare possint, ad id quod imprimis Sacrum Sanctumque est, polluendum violandumque Sacrosanctum nomen Divini Numinis

TH. XVI

Equidem annalibus ecclesiasticis proditum est, cum Ladislaus Hungariæ Rex pactas cum Turcâ inducias rumpere, atque per dispensationem ecclesiasticam misso Legato à latere ab obligatione fidei datæ & Sacramenti præstiti, publice absolveretur, cum autoritas ad perjuri- um & perfidiam data esset, quanta clade divinâ Nemesis hanc perfidiam in ipsos Turcas ulta fuerit in prælio quod inde Duce Ladislao, rupta induciarum fide, cum Amurathe anno 1444. cum incredibilei rei Christianæ detri- mento innotuit: in quo victi fugatique Christiani, cæsus Ladislaus Rex & Legatus cujus ministerio ab obligatio- ne fidei solutus fuerat. Ubi & in ipso conflictu Amurathes tabulis induciarum hasta prælatis invocasse Deum Servatoremque in ultionem perfidiæ; finitoque prælio capiti occisi Regis exprobatione perfidiæ illusum insultatumque fuisse dicitur *Baron. ann. L. 16. ad ann. Christi 1443. Nauclet. Chron. vol. 2. gen. 49.* En impiæ adeo doctrinæ fructus. Egregiam vero laudem & spolia ampla; Utinam

B

ex tam

\* ( 10 ) \*  
ex tam tristi ominosâque clade vel illud utilitatis ca-  
perent: *Discite justitiam moniti & non temere divos. At lon-  
ge vero tetrius est, docere fidem falli posse, quàm fidem  
fallere.*

TH. XVII.

Horrendum quoque non minus est arrogare sibi  
potestatem solvendi subditos ab obligatione obedientiæ  
quam debent Principibus ac magistratui suo, ex lege na-  
turæ; dari ipsis quasi jus, ut rupto jurejurando insurge-  
re in Principes suos possint, & debitū iis obsequiū excute-  
re; quin imo armare miserorum furores in assassinia, par-  
ricidia, tantamq; fanaticæ mentis insaniam, ut persuade-  
antur, lucraturos eos hoc scelere æternam salutem pror-  
sus ut æternam beatitudinem faciant pretium ac merce-  
dem horrendissimorum scelerum.

TH. XVIII.

Atqui nulla lex sacrosanctior est quam Dei cultus,  
ut dictum, & quæ inde sequitur juramentorum religio;  
cujus violatio quid est quam divinæ Majestatis & Sanctis-  
simi ipsius nominis irrisio ac elusio, qua ignominia  
Creatoris nihil excogitari potest execrabilius.

TH. XIX.

Proxima huic est lex obsequii & obedientiæ quam  
summæ potestati ac Regi subditi debent, tanquam Deo in  
terris vicario, & Deo terreno. Hinc ea tam scrupulosa  
maximorum virorum religio, ac trepidatio, ne Regem  
seu à Deo unctum seu constitutum offenderent. Cui de-  
nique par est illa pietas, quâ obligantur natura parenti-  
bus. Eaque omnia ab omnibus gentibus pro immota ac  
inviolabili naturæ lege habita sunt.

TH. XX.

Hæc præcipua naturæ jura, ac æterna summi Creatoris decreta una conculcata ac pessundata sunt eo facto, quo Henrico V. postea Cæsari data fuit autoritas Henricum IV. patrem ac Imperatorem suum, cui jurejurando insuper obstrictus erat, & subditis, Imperii in summam potestatem calcata jurisjurandi religione, ruptisque & solutis omnibus obsequii naturalis vinculis insurgendi, eo quod nollet cedere juribus Imperii de investituris bonorum ecclesiasticorum, quæ jura parens ipsius, atq; antecessores unâ cum potestate eligendi Pontificis sine ullâ controversia hæctenus exercuerant. *vid. Leibn. in Chron. Spir. Lib. 5. c. 31. Lud. Maimbourg. l. 2. de la decadence de l'Emp.* quemadmodum infinitæ constitutiones Imperatorum cum Græcorum inde à Constantino Magno de bonis juribusq; quam Ecclesiasticis per Codicem Theodosianum & Justiniani, tum Germanorum hodieque extant.

Illâ quoq; lex est certissima Naturæ, ne in humanâ Societate alter alterum lædat, alterique insidietur. Unde injustissima fuit illa *ληστυκην* ars prædandi quæ olim inter gentes quasdam in usu fuit, estq; hodie. Hæc igitur lex, cum inter præcipuas, tam ratione naturali tanquam fundamentum societatis humanæ, quæ sine eo subsistere nullo modo potest, tum autoritate Sacrarum literarum constituta sit, non potest ejus legis necessitas ab ullâ humana potestate remitti, concedique jus ex raptò vivendi. Mirum autem est excussisse omnem divini Numinis metum homines, adeoq; avaritia tentari atq; occocari, ut non modo licitam, sed & gloriosam sibi eam prædandi artem existiment, quæ non modò à latronum sed & ferarum belluarumque vitâ ac ritu hæctenus nihil disidet.

Abfit verò, ut Solonem lege suâ comprobasse hanc prædatoriam nequitiam & funesta hominibus latrocinia credamus; in *L. f. ff. de colleg. & corp.* quod sequi videtur ex lectione quam *Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 15. §. 5.* præfert, *ἰππῶν τετρακταίων* qui simul deprædatum eunt, vel enim id de prædis in justo bello intelligendum est vel retinenda lectio vulgata *ἰππῶν ὀρχουμένων*, qui multum cohabitant; quam & subjecta legi versio probat.

Manifesta igitur in legem naturæ ac Creatoris est rebellio, & hostile in genus humanum ejusque societatem odium, prædandi jus concedere. Unde indubium est, cum hodie Algerienses Piratæ eo utantur, eosque si capiuntur ut latrones prædonesque puniri posse ac debere; neque ab aliis populis aut Principibus in fœdera admitti posse, cum extra humanam societatem & generis humani hostes hoc facto constituantur.

Sed accidit cum iis quod olim Tiberio & populo Rom. cum Tacfarinate, quem Tacitus eo arrogantia ait venisse, ut Legatos ad Tiberium miserit, neque aliis magis sua populique Rom. contumelia in doluisse Cæsarem, quam quod desertor & prædo hostium modo ageret *Tac. f. annual. 73.* scil. labante jam tum disciplinae militaris antea infractæ custodia; ut innuit *Tacit. 16. c. 21.* Nota est Caroli V. suscepta superiore seculo in hos prædones expeditio; nostraque memoriâ Gallorum invasio; Sed & pariter notum est, quo utraq; exitu: spretis enim initiis quibus resisti potuit, adeo invaluit nunc prædonum potentia.

Ex dictis sequitur verū non esse, quod jure Civili his naturæ legib9 derogari aut detrahi quicquā possit nedū detrahendo vel addendo aliquid jus civile constitui. Neque movet quod Ulpianus ait *L. 6. in pr. ff. de just. & jur.* jus civile esse quod neque in totum à naturali vel gentium jure recedit, neque per omnia ei servit, sed cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium seu civile effici. Hoc enim verum tantum est de dominiis & juribus rerum actionumque quæ hominum arbitrio ac dispositioni liberæ à naturâ concessa relictaque sunt, ac legibus restringi mutarique possunt non vero de sanctissimis illis naturæ decretis quæ perpetua & immutabilia esse tradit *Justin. in s. f. inst. de J. Nat. Gent. & Civ.*

TH XXVI.

Hinc quoque est, quod de homicidii pœna dispensari à summâ potestate non possit; contra naturam enim est, id quod perfectum est immutare. Neque movemur in contrariam sententiam propter exemplum Caini, cum justissimas à summo Numine inflictas pœnastulerit. *Gen. IV. vers. 11. & seqq.*

TH XXVII.

Hinc non potuit quoque jure Gent. concedi domino jus vitæ & necis in servos & bello captos, nec patri in filium, sed fuere hi excessus & abusus & injustitia non jus Gentium; unde quoque id sensim mutatum.

TH XXVIII.

Ut ex materiâ de nuptiis pauca addamus, certâ lege naturæ prohibetur nuptiæ, cum inter cognatos quosdam, tum inter affines, neque tantum in lineâ ascenden-

tium & descendentium, sed & inter fratres & sorores; *Lev. 18. vers. 9. & cum fratris vidua. Lev. d. c. 18. vers. 16. & c. 20. vers. 21. quin & cum patruvi vidua Lev. 18. vers 14. & c. 20. vers. 20. quæ proinde negamus ullâ hominum lege & dispensatione mutari posse.*

## T H. XXIX.

Utique nuptiæ cum fratris vidua quam in justæ atq; incestæ sint, docuit Johannes, dum in ipso Rege Herode nefas hoc cum periculo capitis sui vehementissime improbavit atque coarguit, & denique hanc veritatem sanguine suo firmavit. Utique in Principibus hoc eo grandius nefas est, quia proles ex hujusmodi nuptiis nata, cum jus succedendi non habeat, si tamen succedit, etiam supplicia, quæ ob crimina, scelera juxta leges irrogat, homicidia sunt, non pœnæ, quippe a privato distat. Nendum si sæviat & vel pro illegitima successione & tyrannide tuenda, aut alias ex quacunque libidine per cædes funera ac supplicia grassetur.

## T H. XXX.

Quoad hanc vero nuptiarum prohibitionem nihil refert, an vidua fratris cum eo actu cohabitaverit an non quia non copula ista sed consensu nuptias facit omni, & iam Canon: jure. c. 1. c. 2. c. 8. & seqq causa 27. quest. 5. Cum igitur uxor fratris duci prohibeatur, d. c. 18. & c. 20. Lev. facta utique est fratris uxor, quæ fratri nupsit d. quest. 2. pass. ubi c. 9. Augustinus id probat exemplo Josephi. Hisce huic disputatiunculæ finem impono, ne quod speciminis loco sit futurum, nimium excrescat quod facile amplitudo hujus materiæ suaderet si omnia debito modo forent enucleanda & decidenda; Neque vitio



vicio mihi vertet quisquam, quod in hanc juris  
 Nat. materiam inciderim, cum ipsum jus nostrum  
 civile ei sua quoque fundamenta debeat; uti satis ap-  
 paret *ex S. f. Inst. de J. G. J. Quibus ut Deus maturita-*  
*tem & perfectionem addat, ejusque in gloriam*  
*hæc omnia cedant, semper in*  
*votis est.*

## Corollaria.

I.

**P**artus septimo mense editus in dubio ut le-  
 gitimus, non potest marito neganti obtru-  
 di, nisi doceatur.

II.

Uti nec partus initio undecimi mensis post  
 mortem vel absentiam mariti editus.

III.

Neg. fundamentum quasi contractuum  
 esse præsumptum, vel fictum consensum.

IV.

De controversiis in testamento relictis recte  
 transigi potest non inspectis tabb. testamenti;

V.

Statuimus negativam per rerum naturam di-  
 recto probari posse,

Putat-

VI.

Putamus: tutelam & Testamenta esse juris  
positivi: Etiam quoad originem.

VII.

Amiffa virginitas diffolvit nuptias parte  
petente, quæ vitium ignoravit.

VIII.

Mare est occupabile & Jure Nat. & Civ.

IX.

Judicium, quod vulgo rescindens & rescif-  
forium dicitur, duplex est.


X.

Justitia universalis, à virtute universalis di-  
stincta nunquam datur.

XI.

Nulla justitiæ species ab aliquâ proportionè  
dependet.

F I N I S.





VI.

Putamus: tutelam & Testamenta esse juris  
positivi: Etiam quoad originem.

VII.

Amiſſa virginitas diſſolvit nuptias parte  
petente, quæ vitium ignoravit.

VIII.

Mare eſt occupabile & Jure Nat. & Civ.

IX.

Judicium, quod vulgo reſcindens & reſcif-  
forium dicitur, duplex eſt.

X.

Juſtitia univerſalis, à virtute univerſali diſ-  
ſtincta nunquam datur.

XI.

Nulla juſtitiaſ ſpecies ab aliqua proportionè  
dependet.

FINIS.

